

bere debent: & quod habeant aliquam rationem communem; & quod talis ratio communis realiter in ipsis distingatur, & numeretur: & cum anima intellectiua, vt natura, & vt hæc natura, non habeat aliquam rationem communem, ideo non realiter distinguntur: & idem de humanitate dicatur.

Ad secundam.

Ad secundum concessio Enthymemate; distinguo minorem: est diuisa per accidens: concedo: per se nego minorem, & consequentiam: quia licet humanitas, & omnes gradus superiores sint contracti in quolibet indiuiduo, hoc habent per accidens: ex se enim nullum indiuiduum determinat: & ita quauis vt contracti non possint de alijs prædicari, sicut nec esse in illis; attamen secundum se omnem singularitatem determinat: quare non valet natura, & omnis gradus communis est contractus in quolibet indiuiduo a parte rei: ergo non habet vnitatem formalem: nam arguitur a positione prædicati per accidens, ad negationem prædicati per se: quod deberet aduertere sic Arguens, ne hoc argumento contra tantum Doctorem se concludere affirmaret.

ARTIC. V.

Annatura communis a parte rei sit corruptibilis, vel incorruptibilis?

V T certa ab incertis separemus: certum est in hoc Articulo nos non loqui de ipsis naturis, prout in ordine ad diuinum intellectum considerantur: vt sic enim non est dubium esse æternas, incorruptibiles, perpetuas, & necessarias: nec etiam hic agimus de naturis spiritalibus, tam substantialibus, quam accidentibus: quia tales, sicut non habent causam propriam corruptionis, ita non proprie corrumpuntur: sed improprie, quatenus per annihilationem desinunt esse: intelligitur ergo præfens difficultas de naturis, tam genericis, quam specificis, substantiæ materialis, prout a parte rei habent esse commune in suis indiuiduis, secundum quod de eis hucusque egimus.

Prima sententia.

In qua difficultate prima sententia affirmans esse corruptibilem potest esse omnium illorum, qui supra negabant dari a parte rei naturas communes; quibus etiam fauet signum Platonis: potestque hæc sententia probari naturæ communes, prout sunt a parte rei, corrumpuntur ad corruptionem singularium: ergo a parte rei non sunt incorruptibiles: ergo nec dantur a parte rei: si enim darentur, essent incorruptibiles; quia ideo dantur per oppositum opinantes, vt sint obiecta scientiarum, quæ sunt de incorruptibilibus, & necessarijs.

Secunda sententia Doctoris.

Secunda sententia a nobis amplectenda asserit naturas communes esse a parte rei incorruptibiles: pro qua notandum primo, quod corruptibile, & incorruptibile opponuntur: & ideo vni, & eidem rei, sub eadem ratione, cõuenire nequeunt: Vnde sicut aliquid dicitur dupliciter corruptibile, ita & incorruptibile: est igitur corruptibile proprie sumptum, quod in se habet potentiam, vt

corrumpatur, corruptione proprie dicta: qualis est mutatio, & transitus de esse ad non esse in subiecto apto nato; & corruptibile sic sumptum, & generabile, conuertuntur: & vt sic habet in se materiam, quæ est principium corruptionis: incorruptibile illi oppositum est, quod tali potentia, & principio caret, & tale incorruptibile ingenerabile dicitur. Aliud est corruptibile improprie, & est illud, quod habet potentiam, vt desinat esse per quamcunque desitionem: & corruptibile hoc modo sunt omnia a Deo creata; quia ab ipso annihilari possunt: incorruptibile autem huic oppositum est tantum ipse Deus, qui sicut a se necessario habet esse, sic desinere esse non potest.

2. Not.

Secundo notandum ex doctrina Doct. in 3. distinct. 22. quæst. vnica; quod sicut compositum substantiale, constans ex materia & forma consideratur, vt natura est, & vt hæc natura; id est, vt commune; & vt singulare: ita partes ipsum componentes considerantur, vt naturæ partiales sunt; & vt hæc naturæ cum suis singularitatibus; quare compositum in communi, vt a singularitate abstrahit, in illo priori dicitur componi ex materia, & forma, prout a suis singularitatibus abstrahunt: & compositum singulare, & vt hoc, componitur ex materia & forma, vt singulares sunt: quæ doctrina est Arist. 5. Metaph. cap. 3. vbi ait: quod causæ, & effectus, proportionantur: si genere, genere: si numero, numero.

3. Not.

Tertio notandum: quod compositum ex materia, & forma in communi, & partes illud componentes etiam in communi sumptæ, id est, seclusis singularitatibus, dicuntur corruptibilia, & incorruptibilia: corruptibilia, in potentia remota; & incorruptibilia, in potentia propinqua: at vero si cum suis singularitatibus sumantur, sunt formaliter corruptibilia; vt corruptibile sumitur primo modo in notabili primo assignato: quia singularitas, & existentia singularis, sunt causæ, propter quas, materia, quæ est subiectum corruptionis, possit esse sub alia, & alia forma, & ex illa fiat generatio alterius compositi: pro quo.

4. Not.

Quarto notandum: quod corruptibile proprie dictum accipitur duobus modis: in potentia scilicet remota, & propinqua: corruptibile in potentia remota est, quod habet in se, vnde potest corrumpi, non tamen potest attingere actum corruptionis: quia non habet aliquas condiciones requisitas ad talem actum, quales sunt singularitas, & existentia singularis: quibus positis, dicitur corruptibile, secundo modo, scilicet in potentia propinqua; sicut, v. g. calefactiuum in potentia remota est, quod habet in se calorem non tamen appropinquatum: sed hoc posito, dicitur calefactiuum in potentia propinqua. Ex quo fit: quod corruptibile in potentia remota dicitur incorruptibile in potentia propinqua: quatenus scilicet incorruptibile opponitur corruptibili in potentia etiam propinqua.

Vlt. not.

Vltimo notandum: quod vnitatis formalis aliter sumitur in compositis spiritalibus: & aliter in corporalibus substantialibus: & in his, aliter in his, quæ constant ex materia & forma, & aliter in metaphysicis: nam in compositis metaphysicis, siue spiritalia, siue substantialia, seu accidentalia

talia sint: sicut entitas compositi dicitur ipsa adæquate concepta, prout abstrahit ab inadaquatitate conceptibus realitatum, a quibus componitur: v. g. Albedo, prout a gradu coloris tanquam a genere, & a differentia specifica abstrahit, est natura Albedinis Metaphysice ex illis duabus realitatibus constituta: sic vnitatis formalis abstrahit ab vnitatibus partialibus illarum realitatum: quæ realitates, vt a singularitatibus, & vnitatibus suis abstrahunt, dicuntur suum totum constituere: sicut de toto Physico not. 2. diximus: & idem de toto Metaphysico substantiali, vt vni Angeli, & anima dicitur.

At vero in compositis materialibus, sicut duplicem habent entitatem, Physicam, & Metaphysicam: sic duplicem habent vnitatem; quod non accipit in compositis primi modi, quæ sunt vere Metaphysicæ, & ideo sicut vnam habent entitatem, sic vnicam habent vnitatem: prima igitur entitas communis in compositis materialibus sumitur a materia, & forma, prout a suis singularitatibus abstrahunt: & talis entitas ab illis composita dicitur totum Physicum habens vnitatem Physicam formalem: & vt sic talis entitas dicitur corruptibilis in potentia remota, & incorruptibilis in potentia propinqua: & formaliter a parte rei est vniuersale Physicum: entitas autem Metaphysica in istis compositis sumitur a toto composito adæquate sumpto: nam anima rationalis, v. g. vt natura est, & vt abstrahit a sua singularitate, tribuit corpori etiam in communi sumpto, & a sua etiam singularitate abstracto, esse sensitiuum, & esse viuens: ex quibus duobus esse; confurgit animal in communi, & ratio Metaphysica generica; & ipsamet anima prout rationalis est, etiam in communi sumpta tribuit esse rationale: ex quo confurgit ratio differentia: & ex omnibus confurgit homo Metaphysice compositus, & vnam per se commune habens vnitatem Metaphysicam realem a parte rei, fundatam tamen quoad suam existentiam, tam communem, quam singularem, in existentia compositi Physici: nam tantum durat compositum Metaphysicum, quoad esse in rerum natura, quantum permanet Physicum compositum: & tale compositum Metaphysicum in communi sumptum dicitur formaliter vniuersale Metaphysicum in rebus, estque corruptibile remote in suo fundamento, quod est vniuersale Physicum: quia fundatur in materia, quæ est principium corruptionis: licet proxime sit incorruptibile.

1. Conclusio.

Dicendum primo, naturam communem substantialem ex materia, & forma compositam, vt a singularitate distinguitur, est incorruptibilis in potentia propinqua, & corruptibilis in potentia remota. Hæc est Doct. in 3. vt supra: & Antonij Tröbeta 7. Metaph. quæst. 8. in solutione ad secundum, & prob. scientia est de perpetuis, & incorruptibilibus: sed Physica, quæ de talibus quidditatibus agit, est vera scientia secundum omnes: ergo talis quidditas debet esse incorruptibilis.

Secundo, ex 7. Metaph. text. 34. omne quod quid est, est incorruptibile: sed natura, vt sic, considerata est quod quid est: & de illa datur diffinitio: ergo est incorruptibilis.

Tertio, ratio corruptionis naturæ est singularitas: nam ex primo Post. c. p. 5. Vniuersale per accidens, id est, per singulare, destruitur: & cap. de subitania: destructis primis substantijs, id est singularibus; destruitur secundæ: sed in illo priori, tam partes, quam totum, abstrahunt a singularitatibus: ergo, & a corruptione patet consequentia: quia quod in se non habet causam proximam alicuius effectus, nec ipsum effectum proximam habere potest: sed singularitas est causa proxima corruptionis in natura: ergo natura; vt abstrahit a singularitate; non habet causam proximam corruptionis.

Secunda pars conclusionis ostenditur: materia & forma, seclusis singularitatibus, sunt causa remota corruptionis: sed totum in communi includit in se materiam & formam sine singularitatibus: ergo est corruptibile in potentia remota.

Obijcies: corruptibile, & incorruptibile opponuntur: ergo non possunt eidem naturæ conuenire: ergo non potest natura communis esse simul corruptibilis, & incorruptibilis: patet consequentia: per propositionem Doct. quæst. vlt. Prologi: quando aliquid inest alicui per se, eius oppositum nec per se, nec per accidens potest inesse: igitur, &c.

Secundo, esse quidditatiuè præcise repugnat posse corrumpi: contra: quod repugnat alicui simpliciter, per aliquod posterius non potest fieri non repugnans: vt arguit Doctor contra Henricum in 1. distinct. 3. quæst. 5. art. 2. sed actu corrumpi repugnat simpliciter esse quidditatiuè præcise: ergo per esse existentia posterius sibi aduenientis, actu corrumpi non erit non repugnans.

Ad primum distinguo consequens: respectu eiusdem potentia: concedo: respectu diuersæ, nego consequentiam: & ita corruptibile, vel incorruptibile in potentia remota, vel propinqua, contradicunt: sicut corruptibile in potentia remota, & incorruptibile in potentia propinqua: & hoc modo explicatur propositio Doctoris.

Ad secundum concedo propositionem Doctoris, eo modo, quo ipse arguit: licet enim de repugnantia simpliciter: licet si homini repugnat irrationalitas simpliciter, per auctum posterius potest fieri sibi non repugnans: & ita quia actu corrumpi repugnat simpliciter esse quidditatiuè præcise, per esse existentia adueniens non potest fieri non repugnans: sed semper est per se incorruptibile in potentia propinqua: licet remote sit corruptibile, & per accidens corrumpatur.

Dicendum secundo: naturæ substantiales, de quibus loquimur, corrumpuntur per accidens, ad corruptionem singularium, in quibus sunt: est communis cum Philosopho, vt supra: & experientia constat.

Dicendum vltimo: naturæ communes accidentium materialium per accidens tantum sunt corruptibiles ad corruptionem subiecti singularis, in quo recipiuntur. Hæc patet: quia hæc accidentia cum materia, & forma careant, nequeunt esse corruptibilia per se, nec in potentia remota

2. Conclusio.

Vlt. conclusio.

nec propinqua: ergo quando corrumpuntur est per accidens, ratione illius, cui sunt coniuncta, quod habet in se principium corruptionis. Ad argumentum in oppositum patet per secundam conclusionem.

ARTIC. VI.

Per quid natura communis efficiatur realiter singularis?

EGIMVS in precedentibus Articulis; de communitate naturarum, & de illis, quae ad talem communitatem concernant, nunc autem in Articulo praesenti restat agendum, per quid qualibet natura communis creata, tam substantialis, quam accidentalis, reddatur a parte rei singularis, & incommunicabilis. Non enim quaeritur hic (vt optime notauit Trombeta 5. Metaph. quaest. 5. §. ad oppositum ex Doct. in 2. dist. 3. q. 2.) de causa indiuiduationis indiuidui intentionalis: nam vt sic indiuiduum est formaliter tale ab intentione secunda, & esse siue ab intellectu: & idem suo modo de indiuiduo reali dicatur: est enim formaliter tale, singularitate; & effectiue ab agente ipsum producente: nec quaeritur de singulari per quid est vnum numero: nam dicitur formaliter tale ab vnitate numerali: quod igitur quaeritur, est; cum Petrus, v. g. sit a parte rei, alteri incommunicabilis, & repugnet illi pluribus communicari, ac etiam plurificari; quid est illud, per quod ei talis incommunicabilitas prouenit; & per quod illum talis repugnancia, & vnitas numeralis consequantur. Itaque sit sensus huius difficultatis: quid est illud, per quod Petro conuenit, & quam per fundamentum proximum, esse singularem, esse incommunicabilem, esse indiuisum a se, & diuisum a quolibet alio, esse primum substantiam, & esse vnum numero: nam haec omnia ad principium indiuiduationis, quodcumque sit illud, consequuntur: in qua re variae sunt Doctorum sententiae, quas cum suis fundamentis refert, & refutat Doctor in 2. distinct. 3. quaest. 2. 3. 4. 5. & 6.

1. Sententia.

1. Argum.

Secundum.

Prima sententia est Henrici de Gandauo quodlib. 5. quaest. 8. & 15. asserens substantiam materialem non indiuiduari per aliquid positium, sed per negationem: quam probat primo, nihil est indiuisum in se, nisi propter indiuisione; sed Petrus est indiuisus in se, & hoc per indiuisione, quae est negatio: igitur per negationem constituitur in esse indiuisi, & singularis.

Secundo, si substantia materialis indiuiduaretur per aliquid positium, illud esset, vel materia, vel forma, vel aliquid consequens ad materia & formam: non per materiam, vt statim dicemus: nec per formam. Quia quaeram de forma per quid indiuiduatur: et si respondeas quod per aliam formam, dabitur processus in infinitum: nec per aliquid consequens: quia quaeram de illo eodem modo: ergo standum erit, quod per negationem sit indiuiduatio.

Secunda sententia est Gotfredi de Fontis, Rogerij Bachonis, & Nicolai Boneti, quos citat Margo Doct. quaest. 3. asserentium substantiam materialem indiuiduari per actualem existentiam. Probat ex 7. Metaph. tex. 49. actus, in quantum actus, determinat, & distinguit: ergo vltima distinctio, qualis est numerica, est per vltimum actum: sed vltimus actus rei est existentia: quia omnis entitas cuiuscunque praedicamenti, si consideretur, vt distincta contra existentiam, semper remanet in potentia ad actum existentiae: ergo distinctio numerica fit per actuale existentiam: ac per consequens ipsa est indiuiduationis principium.

2. Sententia.

Argumen.

3. Sententia.

1. Arg.

Tertia sententia est aliorum, quam etiam tueretur idem Gotfredus quodlib. 6. q. 10. & quodlib. 7. quaest. 5. asserens principium indiuiduationis esse quantitatem; & praeter argumenta, quae pro ea conficit Doctor, quaest. 4. specialiter eam probat eius Author primo. Quod primo, & per se competit alicui, cuiuslibet alteri, cui competit, inest per rationem eius: sed diuisio in partes eiusdem rationis per se primo competit quantitatis: ergo cum haec diuisio conueniat substantiae, tanquam diuisio speciei in indiuidua, conueniet ei per rationem quantitatis: ergo diuisio speciei in indiuidua erit per quantitatem. Tunc vltra: quod est ratio, & principium diuisibilitatis in aliqua natura, est etiam principium distinctionis: ergo cum quantitas sit principium diuisiois naturae in sua indiuidua, erit etiam ratio distinctionis ipsorum indiuiduorum: ac per consequens per quantitatem indiuiduatur: quia principium distinguendi primo vnam rem ab alia est ratio constituendi illam in illo esse, in quo eam distinguit igitur, &c.

Secundum.

4. Sententia.

1. Argum.

Secundo, hic ignis non differt ab illo igne, nisi quia forma differt a forma: nec forma differt a forma; nisi quia recipitur in alia, & alia parte materiae: nec pars materiae est alia ab alia parte, nisi quia est sub alia, & alia parte quantitatis: ergo tota distinctio huius ignis ab illo igne reducitur ad quantitatem, sicut ad primum distinctiuum: ergo quantitas est principium indiuiduationis substantiae materialis.

Quarta sententia est Durandi in secundo vt supra, quam sequitur Zume 1. p. quaest. 3. art. 2. quaest. vnica conclus. 4. asserens principia essentialia esse indiuiduationis principium. Probat primo, in quolibet indiuiduo substantiae materialis tria considerantur intrinseca, materia, forma, & compositum ex illis: sed huiusmodi compositum a quibusdam differt specie, a quibusdam vero solum numero: ergo sicut distinctio specifica sumitur a forma, tanquam a primo principio, & prima radice: ita distinctio indiuidualis, & numerica sumitur, tanquam a primo principio, & radice, a materia: ergo materia est indiuiduationis principium.

Secundum.

Secundo, quaecumque natura est vniuersalis, quatenus habet esse obiectiuum, & apprehensum per intellectum: ergo eadem natura habet esse singulare, quatenus habet esse ad extra, & materiale: ergo materia est indiuiduationis principium.

Tertio.

Tertium.

Quartum.

5. Sententia.

1. Argum.

Secundum.

Tertium.

Tertio, materia prima est vna numero in omnibus generabilibus secundum se; quia secundum se non habet, quod distinguat: ergo ipsa est principium vnitate indiuidualis.

Quarto arguitur de forma: quia in actu indiuiduationis forma est, quae praecipue terminat materiam: ergo forma est, quae proxime concurrat tanquam principium proximum in actu indiuiduationis: eo praesertim, quod indiuiduare est actuare, & terminare naturam: quod cum materia non conueniat, sequitur quod inest formae: ergo materia, & forma, sunt indiuiduationis principium.

Quinta sententia est inter Thomistas communis cum D. Thoma, 1. p. quaest. 3. art. 2. & q. 50. & in 2. distinct. 3. quaest. 4. & de ente, & essentia, vbi Caiet. cap. 2. & opusci 29. & 70. & contra genes cap. 2. i. astruit duo: primum, substantiam materialem indiuiduari per materiam signatam: secundum est, accidentia indiuiduari per ordinem ad subiectum. De hoc secundo, nulla est inter Thomistas dissentio: bene vero quoad primum: nam alij per materiam signatam intelligunt materiam cum quantitate actuali: alij vero esse materiam capacem huius quantitatis, & non illius: alij autem esse materiam, vt est radix, & causa huius quantitatis, & non alterius: alij duo in indiuiduo considerantes, alterum, scilicet, quod sit indiuisum in se; alterum vero quod sit diuisum a quolibet alio: primum, dicunt, habere a materia secundum D. Thomam; secundum a quantitate, vel a materia signata. Alij tanquam considerant in indiuiduo alia duo, videlicet, incommunicabilitatem in alio; & distinctionem a quolibet alio: primum, aiunt, prouenire a materia; secundum vero a materia signata quantitate. Itaque licet quot sint Thomistae, tot videantur de hac re sententiae; nihilominus omnes tendunt ad vnum; vt distinctionem numericam vnitas substantiae ab alia, in quantitatem, tanquam in vltimam rationem reducant: quae quidem sententia quoad hanc partem probatur.

Primo, illud est principium indiuiduationis intrinsecum, cui primo repugnat communicari pluribus per modum, quo vniuersale communicatur singulari: sed materia signata est huiusmodi: ergo. Minor probatur: illud primo competit materiae signatae, quod, circumscripito quocumque alio, sibi competit: & ipsa circumscripita, nulli alteri competit: sed incommunicabilitas indiuidualis competit materiae signatae, circumscripito quocumque alio existente in materia sensibili: & circumscripita ipsa materia signata, nulli competit: ergo non communicari pluribus per modum vniuersalis, primo competit materiae signatae: ergo talis est indiuiduationis principium.

Secundo, frustra sunt per plura, quae possunt fieri per pauciora: sed indiuiduatio potest fieri, & soluari per materiam signatam: ergo frustra quaeruntur alia principia: minor patet: quia ipsi respondent ad rationes Scoti; & omnia inconuenientia tollunt.

Tertio arguunt multis autoritatibus Arist. & Commentatoris asserentium materiam esse indiuiduationis principium, quas in Doct. q. 5.

videre licebit.

Secunda pars fundatur in alijs duabus difficultatibus, in quibus Thomistae a nobis dissentiant: nempe totum esse accidentis consistere in inhaerentia ad subiectum: & etiam duo accidentia non posse simul in eodem subiecto reperiri: ex quibus sic formatur ratio. Essentia accidentis est inesse subiecto: ergo hoc accidens erit inesse huic subiecto: ac per consequens accidentia per ordinem ad subiectum indiuiduantur.

2. pars probatur.

Vltima sententia est Doctoris nostri in 2. distinct. 3. q. 6. & 5. Metaph. ac suorum omnium ibidem: Pro cuius intelligentia notandum primo, quod communicabile, & incommunicabile, opponuntur: vnde cum duplex sit communicabile ex Doct. in 3. dist. 1. q. 1. vt quod, & vt quod; vt quod, sicut est quodlibet superius respectu sui inferioris: vt quod; vt est omne illud, quod alteri communicatur per veram vnionem illi suum esse communicando; sicut est forma respectu subiecti; & natura respectu suppositi: ita per oppositum datur incommunicabile, vt quod, & vt quod: incommunicabile, vt quod, est, quod non potest alteri communicari per modum superioris, communis, & vniuersalis, nec habet aliquod inferius, cui communicetur; sed ipsum est inferius, cui sua superiora communicantur: incommunicabile, vt quod, est illud, quod nullius potest esse forma, nec vnibile per veram vnionem, quia le est suppositum & persona. Ex quo fit: cum singularitate, indiuiduum, & prima substantia, sint tantum incommunicabilia, vt quod; nam vt quod, optime communicantur: & suppositum, & persona, sint incommunicabilia, vt quod; & vt quod: in presenti non inquirimus de Petro, v. g. per quid constitutur in esse suppositi, & incommunicabilis, vt quod, sed inquirimus per quid constitutur in esse singularis, indiuidui, & incommunicabilis vt quod: nam hoc secundum praesupponitur ad primum ex natura rei.

Vltima sententia Doctoris.

1. Nota.

Secundo notandum: quod principium indiuiduationis solet multipliciter appellari: dicitur enim, differentia indiuidualis, proprietates singularis, singularitas; ab Auicena appellatur hypostasis indiuidua: Plotino Idriopropia, id est inter na proprietates indiuidui: Marco Varone, quem etiam sequitur Doctor, hancupatur, Haecceitas; quia ab eo dicitur natura haec numerosa: sicut enim Cicero lib. 3. Epist. familiarium, Epist. 7. ab Apio dicit appetitatem, & a Lentulo Lentilitatem; sic, ab haec, deriuatur Haecceitas: tandem a Doctor in expositione 5. Metaph. tex. 12. effertur materia totius: cuius haec sunt verba.

2. Nota.

Ad cuius euidentiam notandum, quod materia & forma opponuntur relatiue, ex 2. Phys. & quot modis dicitur vnum oppositorum; tot modis dicitur & reliquum. Ex 1. Topic. forma autem quantum ad praesens spectat, accipitur dupliciter, scilicet pro forma partis, quae est altera pars compositi, vel pro forma totius, quae est ipsa quidditas: similiter materia correspondens dicitur dupliciter: quia quaedam est materia, quae opponitur formae partis, & haec est materia, quae est principium essentialis rei, constituens cum forma vnum ens per se: quaedam est materia, quae opponit